

Recitantur variæ opinioneſ de hac Stella,  
eædémque diluuntur. Cap. 2.



*A R IÆ* opinioneſ ſunt ſparsæ de hac noua stella publicè æditis libellis, multo- rūmque animi varietate illa opinionum in diuerſum adeo distracti, ut inſigne hoc prouidentiæ Dei opus penè in deſpectū abierit. Ego igitur recitatiſ aliorum opi- nionibus, ad ſingulaſ respondere, erroreſ reprehendere, & arrogañteſ quorundam voceſ retundere ſum conatus, non quidem studio contradicendi (à quo mea natura abhorruit ſemper) ſed veritatiſ inquirendæ & afferendæ cauſa: & ut multorum bonaſ mentes falſa perſuasione imbutaſ, ad amplectendam & iuſta poſſeſſione retinendam veritatiſ cognitionem adducerem: utque præclarum hoc prouiden- tiæ Diuinæ munus balbutiendo celebrius redderem, ne id unquam è memoria hominiū elaberetur.

Sunt qui hanc Stellam, non nouam, ſed veterem, ac à primæua rerum origine conditam, adeoque illam ipſam, quæ eſt numero undecima, in imagine Caſſiopeæ eſſe con- tendunt: quam opinionem primus omnium ſparsit tueriq; aggressus eſt Hannibal Raimundus Veronensis, ac pluri- mos ſua opinione infatuauit, libello de ea Stella edito: in quo tamen præter nugamenta & ineptias quas affert, om- nes alios diuerſum ſentientes, nimis audacter & præsum- ptuosè erroris arguere non veretur. Rationes igitur ſui in- ſtituti examinabimus libertate Philosophica. Harum pri-

Raimun-  
di opinio  
refutatur.